



Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

VII. Quidquid in Sacris Deo rebus & Episcopis injustè agitur, Sacrilegium reputatur, quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

ad recuperandos sumptus & lucrum cessans ob torturam. Ultra satisfactionem, indebitè torto præstandam, iudicem à superiore pro excelsis qualitate puniendum, patet ex *cit.*, Constitut. Carol. *Art. 61.*

REGVLA VII.

Quidquid in Sacratibus DEO rebus & Episcopis injustè agitur, Sacrilegium reputatur; quia Sacra sunt, & à quoquam violari non debent.

SUMMARIUM.

1. Regula sensus & definitio Sacrilegij.
2. Quod committitur personæ DEO dicata.
3. Loci Sacri aut Religiosi.
4. Et rei Ecclesiastica cuiusvis violatione.

1. **R**egula hæc explicatius traditur *can. Nulli, 12. q. 2.* eoque & sequentibus textibus enumerantur varia exempla Sacrilegij: cuius generatim sumpti à S. Thoma *2. 2. q. 99. art. 1. & 9.* tradita & à cæteris DD. recepta definitio & præsentis Regule sensus est, *Sacrilegium est rei DEO sacra violatio seu lesio.* in qua

2. Rei Deo sacra nomine veniunt Primo personæ per sacram Ordinationem, ut clerici; vel, ut sexus utriusq; Religiosi, per Religionis solennia aut simplicia Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ vota, in Religione à sede Apostolica approbata edita, Divino cultui mancipatæ, aut, ut Novitii, mancipatæ: in quas Sacrilegium committitur violentâ & injuriosâ manûs injectione, *can. Si quis suadente, 17. q. 4. tit. 39. à n. 72.* explicato: pertractione ad forû Seculare & Secularis jurisdictionis in

earum usurpatione, *can. Si quis 45. can. Si quis clerico 46. Sc. 11. q. 1. c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. de Foro compet. Sc.* de qua *Lib. 2. tit. 2. art. 10.* vectigalium & tributorum impositione, exactioneque, *c. Non minus 4. c. Adversus 7. de Immunit. c. 1. c. Clericis 3. ibidem in 6. Sc.* de qua *Lib. 3. tit. 49. à n. 186.* est actum: fornicatione, aliave turpitudine in corpore exercitâ, *can. Virginibus, 27. q. 1. S. Thomas cit. art. 3. ad 3. & Palao Tract. 17. disp. 2. p. 3. §. 1. n. 2.* Vide dicta supra *Tit. 16. à num. 66.*

3. Secundò loca Sacra: ut sunt Ecclesiæ, Sacella, Oratoria &c. ad peragendum SS, Missæ sacrificium, Sacramenta ministranda & obeunda officia Divina per consecrationem, benedictionem aut his præviam deputationem Ecclesiasticam ordinata, *c. Cum Ecclesia 5. c. Ecclesia 9. de Immunit. Eccles. Sc.* Quibus accedunt Monasteria, aliæque domus Regulares, Hospitalia & cætera loca Religiosa, hoc est, ad Religionis, Pietatis & Misericordiæ opera exercenda Episcopali aliave auctoritate Ecclesiasticâ erecta & deputata, *c. Ad hoc 4. de Relig. domib. Sc.* in quæ Sacrilegium committitur reorum ad ea confugientium extractione aliave eorum Immunitatis violatione, *can. Frater 9. can. Si quis 20. junctò §. Sacrilegium, can. Quisquis, 21. Sc. q. 4. cit.* per tradita *Lib. 3. tit. 49. à n. 174.* Ecclesiæ pollutione, *Lib. 3. tit. 40. à n. 31.* explicatâ, exercitiò jurisdictionis secularis contentiosæ, nundinarum & mercatus in iis celebratione, prophanarum comædiarum in iis exhibitione &c. ut dictum *cit. Tit. 49. à n. 2.* Violentâ effractione, incendiò, despoliatione &c. de quibus actum supra *Tit. 17. à num. 40.*

4. Tertiò, res Deo sacratæ: quarum tria genera sunt. Primum constituunt Sacramenta, quorum indignâ tractatione Sacrile-

Sacrilegium committi, res est omnino explorata. Secundum complectitur vasa & quaecumque Ecclesiae suppellectilem, interveniente consecratione vel benedictione ad DEI cultum ordinatam; quæ, cum Divino cultui deserviat, ejus indigna tractatio cedit in injuriam Dei & contra omne dubium sacrilega est. Eadem ratio est sacrarum Reliquiarum, imaginum Dei & Sanctorum: si, quatenus familiares & peculiare amici Dei sunt, irreverenter habeantur, Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 45. n. 17.* & Suarez *Tract. 3. de Relig. lib. 3. cap. 6.* Ad tertium genus pertinent res seu bona temporalia mobilia & immobilia juraque Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque sacrorum & Religiosorum locorum; quorum etiam defraudatione, injustâ invasione, occupatione, ablatione, usurpatione Sacrilegiû committi, liquet *ex can. Sunt qui 3. can. Sacrilegium 4. can. Omnes 5. Et. q. 4. cit.* Ratio est; quia etiam hujusmodi res aliquo modo sacræ & ad Dei cultum ordinatæ sunt, quatenus ad Ecclesiae fabricam conservandam reparandamque, ad paranda, quæ ad Sacrificia & divina Officia ritè peragenda necessaria sunt, ad salaria & sustentationem Ecclesiae ministrorum sunt destinata, S. Thomas *cit. art. 3. cit.*, Lessius *n. 18.* & Palao *n. 9.*

REGVLÀ VIII.

Qui ex Timore præceptum facit, aliter quam debet, facit: & ideo jam non facit.

SUMMARIUM.

1. Regula difficultas.
2. Præceptum timore Filiali, Servili vel Mundano,
3. Et quoad substantiam tantum impleri potest.

4. Conciliatio Regula cum Fidei doctrina,
5. Et verum ejus sensus.

Regulæ huic in speciem adversatur S. Synodus Trident. *sess. 6. cap. 6.* gehennæ timorem ad impii justificationem concurrere, asserens magisterio Veteris & Evangelicæ legis; cum *Initium sapientiæ timor Domini sit*, Ecclesiastici *cap. 1. v. 16.* & ad præceptorum suorum observantiam eò nos moveri Deus voluerit in Moisaica, *Quid dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viâ ejus*, Deuteron. *cap. 10. v. 12.* & Nova seu Gratæ Lege, *Time te, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, Lucæ *cap. 12. v. 28.*

At revera nec Divina Oracula nec definitio Synodalis Regulæ huic adversatur: ut planè constabit, si discrimen statuatur,

Imprimis cum D. Thoma *2. 2. q. 19. art. 2.* Suarez *de Virtut. Theolog. Tract. 2. disp. 1. s. 4. à pr.* & Laiman *Lib. 5. tract. 6. cap. 1. n. 10.* inter triplicem Timorem Filialem, servilem & Mundanum: quorum primò seu Filiali præceptum implens & à peccato abstinens, sicut bonus filius patris, sic ipse Dei, summi & infiniti Boni offensam veretur: qui timor fundatur in Charitate, cujus est actus. Alterò & Servili timore ductus id præstat; quòd præcepti violatio & peccatum pœnæ à Deo infligendæ afferat reatum: qui timor, licet, cum rationem causæ solùm impulsivæ habet, honestus & laude dignus sit, secundum *v. 16. 12. & 28. & cap. 6. cit.* cum sit actus Spei Theologicæ, quæ & bonorum à Deo provenientium consecutionem & malorum ab eo infligendorum aversionem speramus: malus tamen esse potest, estque, si pœnarum infernalium me-